plices divi
ſideam
mu

TOTIUS EVANGELICÆ

HISTORIÆ

SERIES

Instituta

Ab

ERNESTO ZIMMERMANNO,

Sch. Gehrv. qn. Rect.

Anno reparatæ ſalutis quo,

SaVtIſ era Iſta gratIa In eVangeLII hIſtorIa annVnCIata qVIbVs VIs hoMInIbVs Longè Late qVè ILLVCeſCebas.

Tit. 2. v. 11.

Quociriâ

GVſtate & VIDete qVIa ſVaVIs eſt IchoVa beatVs ILLe VIs qVI ſperabIt In eVM.

Pſal. 34. verſ. 9.

LUGDUNI BATAVORUM

Typis DANIELIS de BOXE.

PSALMUS CXII.

Felix qui caste Dominum colit, & bene magnæ
Lætitiæ est, stadio currere legis opus.
Felix qui placidam degit sine crimine vitam
Et leges Domini, quas meditatur, amat.
Posteritas præclara Viro nascetur ab illo,
Amplo cujus erit nomen in orbe potens.
Divitiis partis fauste virtute fruetur
Præmia justitiæ concomitentur eum.
In mediis tenebris orietur gratia justis,
Immensâ Domini pro bonitate sua,
Felix qui patiens pietatis amore movetur,
Vicino tribuens mutua pensa suo.
Hic sua directâ perpendet munera lance,
Omnipotentis opus lege docente gerit.
Justum, semper honos, nomen, laudesque manebnt
Posteritas hujus facta benigna canet
Constanti semper confidit corde Jehovæ
Qui donat cœlo spemque fidemque suis
Magnanimus stabit metuens nil, donec in hostes
Fortunam adversam viderit ipse suos.
Porrigit auxilium miseris, succurrit egenis,
Æternæ laudis talis habebit opes.
Sublimi semper fulgebit in arce piorum
Et lætum factis tollet honore caput.
Impius ista videns commotâ bile dolendo
In stygias frendens dentibus ibit aquas.
Nam quæcumque facit petulans, hæc omnia fient
Irrita, nec finem, quem cupit, ille feret.

Nobilissimis, Amplissimis & Excellentissimis Dominis.

DN. PRÆSIDI ET SENATORIBUS Supremæ CURIÆ Hollandiæ Zeelandiæ & West-Frisiæ Magnificentissimis,

Nobilissimi Domini.

Nemo cœlestia & quæ ad cælestia consequenda requiruntur melius & rectius novit, quam qui de cœlo descendit, filius nempè hominis qui in cœl s est, quem qui in cruce suspensum verâ fide intuetur, non peribit, sed habebit vitam æternam, præfiguratū antiquitùs in deserto, ubi illi homines per morsum serpentum læsi, non moriebantur, qui juxta mandatum Dei intuebantur serpentem æneum in castrorum medio erectum: Sic nos hodie per fidem justificamur abque nostris operibus ex Dei gratia propter Christi meritum, verâ fiduciâ apprehensum. Rom: 3. 24. 25. Eph. 2. 5. Intuendum autem jam se præbet mundi salvator in verbo suo revelato veteris et novi Testamenti imprimis in Evangelio ubi Christus salutis nostræ Assertor, solus nos viam ad cœlum docuit, qui ūiversas & singulas leges quas ille Moyses publicis consignavit monumentis, ut vitiorum emendatrices, virtutum verò commendatrices essent, & homines ab illis ut hostes abhorrerent, his autem tanquam hospites adhæreren paucis comprehendit, siquidem istas in tabulam de Dei & proximi dilectione collegit & constipavit, hic mundi Salvator legis sensum explicuit, Matth. 5. 20. perfectam obidientiam ei præstitit Rom. 3. & etiam suam Obedientiam legi præstitam, gratiam Dei sitientibus condonat. 2. Cor. 5. 21.

§. 21. *Hic insuper, Vita, Doctrina, Prodigia Liberatoris mundi copiosius describuntur, simulac mysteria nova panduntur antiquis longe excellentiora, Angelorum & Hominum intellectum excedentia, animarum saluti apprimis inservientia, itâ ut mihi Thesaurum historiæ Evangelicæ consideranti plane Arborem vitæ esse videtur quaßandam ab ima stirpe, non conculcandam de summis apicibus, cujus quodlibet pomum dignum est, ut in comedendo, penitusquè degerendo & in spiritualem hominem convertendo factis operibusquè sanctitatis exprimendo totam vitam impendamus: Inde Arboris hujus præstantiam studiosâ meditatione indagandam, me Christi mandatum & mea in rebus divinis egestas excitatura tempore exilii mei mihi inter alia elegi, de cujus foliis particulam contextam, & jam publici juris factam VV. Nobiliss, Excellentiss. Nominib. more pro solenni in felix hujus novi Anni 1659. Auspicium humilimâ mentis devotione offero & consecro. Vt igitur hoc exiguum carthac. opusculum honori vestro transcriptum lætâ mente ac liberali dexterâ accipere, meque V. favore & memorabili benevolentiâ haud indignum facere velitis, etiam atque etiam rogo Deum Opt. Max. supplici mente veneror, ut V. Excellent. Spiritu sapientiæ illuminatas porrô suâ perpetuâ gratiâ adesse, & ad magni Nominis sui gloriam, Ecclesiæ Jesu Christi propagationem ac piorum salutem, seros in annos salvas ac florentes conservare velit, & ab omnibus malis paterné vindicare.*

T. Nobilissimis & Excellentissimis

Nominibus

Devotus

ERNESTUS ZIMMERMAN.

SERIES TOTIUS EUANGELICÆ HISTORIÆ.

CHRISTUS Servator noſter. Jo.14.6.dicit, Ε'γώ εἰμι ἡ ὁδὸς καὶ ἀλήθεια, καὶ ζωή, οὐδεὶς ἔρχεται πρὸς τ͂ πατέρα εἰ μὴ δι᾽ ἐμοῦ. Ego ſum via,& veritas & vita,nemo venit ad patrẽ niſi per me.Quæ aurea Chriſti ſententia aureis etiam literis,imis cordium noſtrorum viſceribus imprimenda,ut quæ tribus quod ajunt verbis, ſummam totius Euangelij in ſe continet, quæ eſt,ut credamus Ieſum eſſe Chriſtum filium Dei, ut credentes vitam æternam habeamus per nomen ejus, Ioh. 20. 31. *Via itaque Chriſtus eſt.* 1. *Docendo*, quia ipſe unus & ſolus nos viam ad cœlum docuit, dum verbum veritatis, Coll. 1. 5. i. e. Euangelium é ſinu patris protulit, Ioh. 1. 18.Et ſic ſcientiam ſalutis in remiſſionem peccatorum dedit, Luc 1. 77. Inde Sol Iuſtitiæ apud Prophetam Malachiam, cap.4.2. & oriens ex alto, apparens ijs,qui in tenebris & umbrâ mortis ſedent, à Zacharia, Luc. 1. 78. imò lux vera, illuminans omnem hominem in hunc mundum venientem, à Johanne cap. 1. v. 9. appellatur. *Deinde Chriſtus via eſt*, 2. *Promerendo*, dum λύτρῳ pro nobis ſoluto à proteſtate Satanæ, peccati & mortis nos liberavit, & ex triſtiſſima ſervitute, in feliciſſimam libertatem reduxit: ſcimus enim,quod ob peccati lapſum primorum noſtrornm parentum é Paradiſo ejectorum, fores ipſis clauſæ fuerint, & via ligni à Cherubim flammeo & vibranti gladio cuſtodita, ne daretur ulli hominum aditus in hunc hortum. Aſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus erga Patrem cœleſtem obedientiâ, clave nimirum crucis & mortis fores reſeravit, & ſanguine ſuo flammam vibrantis gladij extinxit: hic omnibus peccatorum ſpinis ac ſalebris, quibus viam nobis Diabolus obſtruxerat, erutis ac ſemotis, viam nobis præparavit, ut & nos perrumpere & ingredi cœli portam queamus: hinc ſcriptura S. paſſim teſtatur, Chriſtum non alio fine in carnem veniſſe, niſi ut repararet quod amiſſum, & inſtauraret quod deſtructum erat, inprimus Luc, 19. 10. 1. Ioh, 3. 8, *Chriſtus via eſt, applicando.* Et quidem. 1. *Per verbum ſuum*, in quo nobis notas fecit ſemitas vitæ, Pſal. 16. 11. ex quo tanquam ſemine incorruptibili regenuit nos, 1. 23. in vivam ſpem ibid. v. 3. per quod intellectum nobis dat, & inſtruit nos in via, quâ gradiamur, & conſulit nobis oculis ſuis, Pſal. 32. 8. 2. *Per Sacramenta*, ut per quæ non ſolum DEUS ſecundum magnam miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit, tanquam per lavacrum regenerationis Spiritus ſancti: quem in nos effudit copioſè per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, ut juſtificati ipſius gratiâ, hæredes efficeremur ſecundum ſpem vitæ æternæ. Tit. 3. 5. 6. 7. Sed & vitam illam ſalutis, juſtitiæ & vitæ æternæ tanquam per indubitata ſigna confirmat & obſignat, Rom. 3, 11. 3. *Per preces pias.* Per ipſum enim habemus acceſſum ad Patrem, Eph. 18. & fiduciam in confidentia, quæ eſt per fidem ejus, Eph. 3. 12. Et per ipſum accepimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, i. e. Pa-

ter, Rom. 8. 15. *Et 4. per Exemplum,* monstrando scilicet quomodo vivendum in dilectione mutuà, quod ipse præbuit nobis, nimirum prout ipse fecit nobis, ita & nos faciamus, Joh. 13. 15. Quomodo item patiendum, exemplar, dum ipse pro nobis passus est, nobis reliquit, ut subsequamur vestigia ipsius, 1. Pet. 2. 21.

II. *Veritas Christus est.* 1. *Complendo,* quia in ipso tanquam vero & promisso illo Messia completa sunt quæcunque de Messia & dicta & præfigurata fuerunt. & quæ locutus est Deus per os omnium Sanctorum à seculo Prophetarum, Act. 3. 21 sicuti & tota Hirarchia Sacerdotij Levitici, ut typus in antypo completa, id quod Epistola ad Hebræos ab initio usque ad finem demonstrat. Quocirca D. Paulus ad Timotheum suum scribit, DEUS conspicuus factus est in carne 1. Tim. 3. 16. & ad Titum, illuxit gratia illa salutifera quibusvis hominibus, (nempe illa gratia per Prophetas & DEI servos prænunciata) erudiens nos, ut abnegatâ impietatae, & mundanis cupiditatibus, temperanter & justé, & pié vivamus in præsenti seculo: Expectantes beatam illam spem, & illustrem illum adventum gloriæ magni illius DEI ac Servatoris nostri, *nempé* Iesu Christi. Tit. 2. 11. 12. 13. *Veritas Christus est,* 2. *Promittendo.* Est enim non solum fidelis seipsum negare non potest, nec mentitur. Tit. 1. 2. Triumphator in Israël non fallet, & non pœnitebit eum. 1. Sam. 15. 29. Sed verbum ejus veritas est, Ioh. 17. 17. & verbum veritatis, Psal. 119. 43. Diceret ergó & non faceret? locutus esset, & non impleret? Num. 23. 20. Cœlum & terra peribunt, verba autem mea non transibunt, inquit Salvator noster, Luc. 21. 33. manebunt in æternũ, 1. Pet. 1. 15. stabunt in seculum, Esa 40. 8. *Veritas Christus est,* 3. *Operando,* quia per Spiritum sanctum mediante verbo veritatis, nos in omnem ducit veritatem, Ioh. 16. 13. mentem nostram tenebris obscuratam illuminat, & vires suppĕditat, ut ex voto sequi valeamus spirituale lumen in nobis exortum, Eph. 4. Imò sanctitati studentibus continuo actu cooperatur Spiritus filij Dei, Gal. 4. remissos excitando, lapsos erigendo, errantes revocando, vacillantes confirmando. Et certè homo hâc sine Christi gratiâ nihil potest facere, Ioh. 15. 5. dum Deus is est, qui efficit in nobis, & ut velimus, & ut efficiamus, pro gratuita sua benevolentia, Phil. 2. 13.

III. *Vita Christus est,* non tàm ratione sui essendo, quia vita est æterna, 1. Ioh. 5. 20. quam ratione nostrî. Et quidem 1. *creando & conservando,* quoniam vitam corporalem, omnesque sensus naturales, veluti in primo Symboli Apostolici Articulo profitemur, nobis communicat: ipse fecit nos, & non ipsi nos, Psal. 100. & in ipso vivimus, movemur, & sumus, Act. 17. 28. Imó parta bona constanter servat, & adversus omnium hostium apertas & clandestinas molitiones potenter defendit. *Vita precipue Christus est* 2. *Regenerando, & sanctificando,* quoniam spiritualem vitam in nobis, mediantibus Sacramentis & verbo perficit. De quà vita concionatur Salvator ipse Ioh. 3. 5. & seqq. & Ioh. 6. 33. & seqq. & Ioh. 10. 10. Ego veni ut vitam habeant, & abundent. & Paulus Gal. 2. 20. Quæ ipsa vita operibus sanctitatis & justitiæ vigorē suum ità exerit, ut mortui peccatis, in novitate vitæ ambulemus, Rom 6. 2. & seqq. Et sic totum redemtionis beneficium Spiritus sui virtute per fidem nobis applicat, imaginem DEI in nobis actu restaurat, & ad æternam felicitatem reducit. *Quapropter etiam Christus vita est.* 3. *Resuscitando & glorificando,* ut ipse dicit. Hæc est voluntas ejus qui misit me, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die, Joh. 6. 40 Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, non morietur in æternum, Ioh. 11. 25. in judicium non veniet, sed transijt à morte ad vitam, Joh. 5, 24. ubi demum, quos justificavit, glorificabit,

glorificabit, Rom. 8. 30. & corpori suo glorioso conformes reddet, Philippens. cap. 3. vers. ultimo.

Quod si ergò Christus via & veritas & vita est, in quo omnia quæ olim partim à Prophetis de vero promisso Messia prædicta, partim veteri fœdere variè præfigurata, ad amussim sint completa, consequitur. Christum indubitatò Semen illud mulieris osse, caput serpentis contriturum, promissum Gen. 3. 15. & semen Abrahæ, in quo omnes gentes terræ benedicendæ Gen. 12. 3. Gal. 3. 8 adeoque ipsissimum Messiã tot seculis expectatũ, in temporis plenitudine exhibitum, & ex muliere natum, Gal. 4. 4. qui populum suum salvaturus erat ab omnibus peccatis suis, Matth. 1. 21. & in quo omnes promissiones DEI etiam & amen. 2. Cor. 10. Ipsum itaque & non alium ut salutem veram in eo consequamur, Salvatorem agnoscamus: agnoscitur autẽ in verbo suo, ex quo tanquam perenni & augusto fonte salutis, verba vitæ, testante D. Paulo, hauriamus. Rectè faciunt ergò illi, qui in legendis & meditandis quotidie libris divinitùs traditis suam diligentiam & industriam publicè testantur: quorum vestigia ego sequutus Euangelicam Historiam, utpotè materiam omni eloquio majorem, à tempore exilij mei mihi meditandam elegi. Quæ scilicet Historia tota distribui potest in ea, quæ pertinent ad vitæ Christi in hisce terris peractæ, vel 1. *Ortum* vel 2. *Cursum*, vel, 3. *Terminum*.

I.

Ortus vitæ Christi in hisce terris peractæ.

1. Præsupponit Christi, ceu λόγυ æterni, ac secundum unam naturam filij Dei coëssentialis, æternam & divinam substantiam, Generationem, ἀνχήματα ϗ ἰνεγήματα: neque menti humanæ comprehendendam, neque linguæ ad enunciandum obvia, Iohann. 1.

11. Exponit Christi, ceu veri secundum alteram naturam Hominis, Nativitatem seu incarnationem in tempore Cujus *Primò* ἡγέμθμα, 1. Prodromi, Iohannis Baptistæ, antiquitùs per Vates promissi conceptio. 2. Messiæ venturi per Gabrielem Angelum Mariæ Virgini pientissimæ Nazaretæ annunciatio, L. 1. 3 Genealogiæ Salvatoris nostri Jesu Christi recitatio, quoad 1. Josephum sponsum Mariæ, & nutricium Christi, per lineam Salomonis, atque ordine συνθετικῷ M. 1. quoad verò 2. Mariam Matrem Domini ex Davide per lineam Nathanis, atque ordine ἀναλυτικῷ L. 3. 4. Visitatio & colloquium S. Mariæ Virginis gravidæ, & D. Elisabethæ matris Baptistæ, L. 1. in quo prima Synodus N. Testamenti celebrata, simulac decretum, Messiam per Patriarchas olim & Prophetas promissum, reipsâ jam exhibitum & conceptum esse, suosque thesauros & beneficia largissimè omnibus exhibuisse. quod etiam Canticum Mariæ (Magnificat anima mea Dominum) tunc temporis primò compositum, luculentius explicat, L. 1. 5. Iohannis Baptistæ Zachariâ Sacerdote geniti, viri divini spiritus sanctitate, & zelo incomparabili, Nativitas: pro quâ, & filij circumcisione, fidelique educatione, simulac Zacharias Pater, insigni Cantico (Benedictus Dominus Deus Israël) quod Christum Salvatorem juxta promissiones patribus datas exhibuerit, Deo gratias agit, L. 1. 6. Iosephi, ne Mariã è Spiritu sancto gravidam repudiet, per Angelum in somnis, admonitio, Matth. 1.

Secundo, μέσα ἡ σύνεζευγμβία Ceu sunt 1. præcipuarum Nativitatis Christi secundum carnem circumstantiarum designatio: quod nimirùm, impleto fatali tẽpore filium proprium humanâ indutum carne produxerit in hanc lucem Deus, Bethlehemi in Judæa, ex Virgine Maria, semine Abrahæ & Davidis natum, mundi unicum Salvatorem. 2. Ejusdemque exemplo inaudito nati per Angelos hym-

niferos, & Pastores miseros, solemnis publicatio, Luc. 2.

Tertiò, Ἐπόμενα quod 1. Christus octavo die circumciditur & Iesus indigitatur, quod nomen dulcissimum ei datum fuerat ab Angelo nondum in utero concepto. 2. Die quadragesimo, cum Mater purificaretur, in templo præsentatur. 3. A Simeone qui supererat penè solus magni Synedrij Judex, ceu verus Messias ulnis excipitur, & lumen salutare gentium publicè deprædicatur, atque ab Hanna Prophetissa, ceu omnium Salvator redemtionem ejus expectantium, commendatur, Luc. 2.

II.

Cursus vitæ Christi in terris hisce peractæ, continet ætatem,

1. *Puerilem in Infantia.* Quo pertinet.

1. Infantis Iesu à Magis, duce stellâ, ex oriente profectis, & Hierosolymam venientibus, visitatio & adoratio. 2. Per fugam cum Maria Matre eique destinato Iosepho Marito in Ægyptum migratio, ubi tam diu morari, donec sanguinolentam animam div. judicio Herodes daret, iubetur. 3. Miserabilis infantum infra bimatum quæ circa Bethlehemum & Ierosolymam reperiebantur, per Herodem interfectio; qui statim postea diuturnâ & immani ægritudine conflictatus, verminante & putrescente adhuc vivo corpore, cum sæpius irritare suâ manu mortem cupiens, à suis prohiberetur, tandem inter ipsas novæ crudelitatis machinationes miserrimè perijt. 4. Post mortem Herodis ex Ægypto in Galilæam reditio, & ad monitum oraculi ad civitatem Nazareth concessio, M. 2. 5. A quinto ætatis anno usque ad duodecimum privata educatio. 6. Pueri Iesu duodecennis, ad Festum Paschæ Hierosolymam profecti, à Parentibus amissi in templo verò reperti, cum summis patriæ Doctoribus triduum non sine maximo omnium stupore, Disputatio, Luc. 2.

II. *Iuvenilem in Adolescentia*, ab anno duodecimo usque ad trigesimum, per integros annos octodecim. Ubi occurit. 1. Egregia, erga parentes obedientia. 2. Profectus sapientiæ & ætatis, 3. Expectationis permagnæ apud homines quosvis per exertos nonnunquam divinitatis radiolos concitatio, L. 2.

III. *Virilem in Provincia, seu Ministerio Publico.* Cujus notari debet.

I. *Ingressus, Auspicium vel primus annus. Quo pertinet.*

Primò Iohannis Baptistæ, ceu Apparitoris. Messiæ circa initium anni quindecimi Imperij Tyberiani ministerium Novi Testamenti inchoantis, baptizatio & prædicatio: dum in desertis Judææ adesse clamat Dei filium, à cæca efferatâque hominum gente, ni maturè resipiscant, pœnas exacturum: docetque ingenti totius Judææ concursu, & gratiam filij Dei pœnitentiâ & fide ambientes aquâ perfundit: testatur, hoc fieri in remissionem peccatorum: quum totius mundi noxam Christus tanquam agnus Dei bajulet, auferatque. Quocircà ejus doctrina non tantum concionem in remissionem peccatorum, sed integrum omnium articulorum Christianæ fidei Corpus complectitur, Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioh. 1. 3. 5.

Secundò. Christi 1. per Iohannem in Jordane baptizatio, & ad munus docendi publica & solemnis inauguratio: ubi occurrunt, quod nimirum Iordanem accedens Christus baptizari ab eo cupierit: ubi edoctus complendæ justitiæ à Christo peti, quò undas suo corpore in salutaris lavacri sacramentum dedicaret, perfudit eum aquâ Jordanis, audivitque Deum clarâ voce testantem, hunc esse suum filium, in quo sibi totus placeat: vidi que Spiritum Sanctum specie columbæ cœlitùs delabentem & requiescentem in Christo, M. 3. Marc. 1. L. 3. Itemque 2. per Spiritum sanctum in desertum deductio, & à Satana tentatio, ubi

ubi infesissimum generis humani hostem diabolum, post quadraginta dierum jejunia famem exprobrantem, modestiâ devicit, nec è lapidibus panes condidit, nec honores, nec divitias ab insolentissimo spiritu oblatas admisit, quo repulso Angelorum mox ministeria successêre, M. 4. L. 4.

Tertiò Judæorum 1. per Iohannem Baptistam de Christo manifestato, & jam absente, inque officina probationis adhuc versante, informatio. 2. Honorifica Sacerdotum ac Levitarum ad Johannem Baptistam, num esset promissus ille Messias, ablegatio. 3. Uberior per novum Baptistæ testimonium de Christo ex deserto reverso, & jam præsente, confirmatio, Joh. 1.

Quartò Discipulorum, 1. Andreæ scilicet, Simonis Petri, Philippi, & Nathanaëlis, occasione concionis de Agno Dei, peccata mundi tollente, eamque insecutorum colloquiorum privatorum, ad Christum adductio, Joh. 1. cum quibus 2. Canam Gal. invitatus ad nuptias; aquam in vinum vertit, lætitiam thori conjugalis primo miraculo dignatus. Postmodum 3. proficiscitur Capernaunta, Ioh. 2. Ab eo tempore Iesus Christus verbis operibusq; divinissimis, quis esset, declarare cœpit, & in annum usque quartum ea fecit & dixit, quæ non totius orbis volumina dignè satis explicaverint, ut Johan. 21. Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4. dicitur.

I I. *Progressus, incrementum & gesta Christi, posterioribus ministerij publici annis, quæ non incommodè secundum paschata, à Baptismate Christi, vel ab initio ministerij ejus publici, in partes quatuor distribuuntur.*

Nam *ad Pascha Christi publicè docentis Primum, pertinent Acta.*

Primò Hierosolymis, ut est 1. Templi à profanis nundinationibus Purgatio, ementiumque & vendentium ejectio. 2. Disputatio cum Nicodemo de ratione perveniendi in regnum Dei, in quâ Nicodemo Pharisæorum principi, institutionem, sed præ pudore nocturnam ambienti ait; frustra esse omnes hominis vires in beatitudine acquirenda, nisi baptizatus illuminatusque Spiritu sancto per filium Dei veniam peccatorum impetret, eâque fide salutem in ipso solo æternam requirat.

Secundò in Iudæa. Ubi 1. Christus docet, & per Discipulos baptizabat, usque ad captivitatem Iohannis, qui 2. in Ænon baptizabat. 2. Discipulis ipsius intereà cum Pharisæis pro Magistro suo contra Christum disputantibus, 4. Baptistâ concionem publicam, de officio, genere & doctrinâ Christi habente, Johannes ab Herode Antipa in carcerem truditur, quod incestas ejus cum Philippi fratris conjuge nuptias improbaret: Cujus compertâ captivitate:

Tertiò Christus in Galilæam redit. Quò cum 1. ob Pharisæorum indignationem sese reciperet, 2. transijt per Samariam & 3 collocutus ad fontem vicinum oppido Sichem, cum muliere quadam aquam hausturâ, de vero Dei cultu, eandem ut & magnam Samaritanorum multitudinem convertit. 5. Discipulos quoque de propinquitate messis spiritualis instruxit, atque 6 honorificè à Galilæis exceptus, tandem in Cana Galilææ filium Reguli sanavit, nec non in Synagogâ docuit, Joh. 4. Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4.

Quartò in Nazareth Christi patriâ. Ubi ipse 1. die Sabbati in Synagoga docere cœpit. 2. Multis quidem doctrinam ejus suspicientibus, 3. ingratis verò eum è Synagoga exturbantibus, Marc. 1. Luc. 4.

Quintò Capernaum. Ubi 1. Christus rumore certior factus Iohannem Baptistam in carcerem conjectum, relictâ Galilæâ habitavit in Capernaum, quæ urbs cum colonia Romana esset, & præsidio Romano teneretur, tutior in ea fuit, quam in Galilæa. 2. jure civitatis ibidem adepto,

Sabbato in Synagoga docet. 3. summaria concionum suarum capita identidem inculcat, Matth. 4 Marc. 1. Luc. 5. 4. Totam Galilæam circumiens, 5. Ecclesiam non mediocrem è Galilæa, Decapoli. Iudæa, & Jordane colligit, Matth. 4. 6. Qua præsente concionem prolixam in monte habet; docens adesse regnum cœleste, valedicendum vitiis, renunciandum amori tenebrarum, redeundum in gratiam cum Deo, credendum promissis divinis de vita per filium ejus donanda unigenitum: quærendos in cœlis thesauros perennes, mundum hunc ejusque vanitates contemnendum, Matth. 5. 6. & 7. cap. Hæc ut voce prædicavit, sic probavit operibus 7. Finitâ namque concione leprosum mundat. 8. ingressus Capernaunta paralyticum servum centurionis curat, Matth. 8. 9. In Synagoga Dæmoniacum restituit, Marc. 1. Luc. 4. 10. Sub egressum è Synagoga febricitantem Petri socrum, nec non plurimos alios ægrotos atque obsessos sanat, Matth. 8. Marc. 1. Luc. 4. 11. In desertum preces ad Deum Patrem fusurus secedit. Marc. 1. 12. in vicinas regiones excurrendo, cum ægrotos, tum dœmoniacos varios liberat, Marc. 1. 13. Leprosum uno verbo sanat, Marc. 1. Luc. 5.

Sexto. In transfretatione maris Genesareth. Ubi 1. Scribarum duorum operam suam Christo deferentium, informatio, Mat. 8. 2. Subortæ tempestatis subitanea sedatio, ibid. 3. Dæmoniacorum Gergesenorum in monumentis habitantium à Diabolis liberatio; & porcorum à Dæmonibus ejectis in mare præcipitatio, Matth. 8. 4. Petri & sociorum ejus Iacobi ac Iohannis, pro naviculâ Christo docenti commodatò datâ, iterata vocatio, Luc. 5.

Septimo, In reditu ad civitatem Capernaum. Ubi 1. Præsentiæ Christi reversi divulgatio; 2. Apportati ad Christum Paralytici curatio, Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5. 3. Matthæi à telonio ad munus Apostolicum vocatio Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5. 4. Discipulorum Iohannis, nec non Pharisæorum, de neglecto à Discipulis Christi jejunio, disceptatio; ibid. 5. Defunctæ Primatis filiæ resuscitatio; 6. Hæmorrhousæ attactu vestimenti Christi sanatio; Cæcorum duorum fide verâ Christum inclamantium illuminatio: 8. Muti ac Dæmoniaci curatio. 2. Precum pro Messe spirituali, & operarijs fidelibus, commendatio; Matth. 9.

Ad Pascha Christi publicè docentis Secundum Iohan 5. pertinent Acta.

Primo in ipso Paschatos festo. Ceu sunt 1. Hominis ab annis triginta octo paralytici ad probaticam piscinam Bethesda cognominatam uno affatu restitutio, Ioh. 5. 2. Prima Christi cum Judæis de Sabbato concertatio, ibid. 3. Æternæ Deitatis Christi ab attributis & testimonijs assertio, ibid. 4. Spicarum per Discipulos Christi in Sabbato vellicatio, occasionem præbens veræ explicationi doctrinæ de Sabbato; in qua Sabbatū saluti, haud exitio hominis institutum Christus evicit. Marc. 2. Luc. 6. 5. Aridæ manus in Sabbato curatio. novã causans de sanctificatione & violatione Sabbati concertationem. Mar. 3. L. 6.

Secundò circa secessum Christi ad mare vel locum oppido Capernaitico vicinum. Ubi 1. Discessus impulsiva, vel ratio quæ fuit insidiarum à Pharisæis cum Herodianis conspirantibus structarum declinatio, ibid. 2. Ingentis multitudinis ex diversis regionibus confluentis è navicula informatio, 12. Mar. 3. 3. Apostolorū duodecim in ministerium Evangelij delectus & instructio; quibus potestatem in quævis Dæmonia & ægritudines largitus est, Mat. 5. & 10. Mar. 3. Luc. 6. 4. Prolixa de beatitudinibus, & veris Deoque placentibus cultibus concio, L. 6. 5. His peractis eò rem deduxit Christus, ut Centurio Romanus, qui Capernaumo præerat, valetudinum

tudinum omnium Dictatorem, eum profiteretur, sequuta est fidem virtus: quum enim servum Centurionis dira torqueret paralysis, jussus abire morbus, abijt, bona valetudo vocata adolevit, quum & hoc quasi pro levi fuit. Iam 6. & mortuis vitam verbo reddebat: Naimano Iuveni spectante totâ civitate ex quâ tumulandus exportabatur, spiritum amissum ingenti cum omnium stupore redonavit Luc 7. 7. Discipulorum Iohannis Baptistæ jam incarcerati ad Christum ablegatio, Matth. 11. Luc. 7. 8. Christi ad turbam post discessum legatorum Baptistæ, concio, cum 1. ἐγκωμιαστικὴ: tum 2. παραβολικὴ de pueris in foro ludentibus, tum etiam 3. μεμπτικὴ ingratitudinis Chorazinorum, Bethsaidanorum, & Capernaitarum; itemque 4. εὐχαριστικὴ pro Evangelio, revelato parvulis, & abscondito sapientibus; ac tandem 5. προτρεπτικὴ ad sequelam sui, in qua omnes qui laborant & onerati sunt, ad se vocat, Matth. 11. Quibus subijcitur 9 Convivium apud Simonem Pharisæum, ubi Dominus à Maria Magdalena ungitur, Luc. 7.

Tertiò In peregrinatione Christi per civitates atque castella. Ubi 1. Comitum Domini enumeratio, ceu sunt: Apostoli & mulieres quædam, ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς ipsi administrantes. 2. Discipulorum Domini, iterum die Sabbati, in transitu per sata, spicas fricantium, criminatio & excusatio, M. 12. 3. Aridæ manus die Sabbati in Synagoga curatæ defensio: 4. secessio exigua, propter Pharisæorum, insidias & Christi assiduè docentis defatigationem, Matth. 12. 5. Liberationis Dæmoniaci, cæci & muti, digito Dei, & non per Beelzebub, à calumnijs vindicatio, Matth. 12. Marc. 3. 6. Spiritualium fratrum notatio, ibidem.

Quarto, In reditu Christi à mari. Ubi 1. Parabolarum octo recitatio & explicatio, Matth. 13. Marc. 8. 2. Intempestiva matris ac fratrum Christi ad ipsum accessio, Luc. 8. 3. credentium cum Christo cognatio, quod nimirum Mater & Frater Christi sunt, qui verbum Dei audiunt & costodiunt, ibidem.

Quinto, circa transfretationem in terram Gergesenorum. Ubi 1. subita tempestatis periculosissimæ in navigatione Christi obortæ sedatio, Luc. 8. 2. Demoniaci unius, integrâ legione diabolorum obsessi, verbo Christi liberatio, Marc. 5. Luc. 8. 3. Christi in terram Genesareth navigio reversi, à multitudine ipsum expectante, in ripa maris non procul ab urbe Capernaum, honorifica exceptio, Marc. 5. Luc. 8.

Sexto In secundo Christi in patriam Nezaretam reditu, Ubi 1. Christi concionantis in Synagoga patria Sabbati die, ob parentum tenuem originem, contemtus, Matth. 13. *Marc.* 6. 2. Miraculorum Christi per incredulitatem Sympatriotarum retardatio, ibid (*Hic quidam finem secundi anni ministerij Christi statuunt.*) 3. Fructuosissima duodecim Apostolorum in terram Iudæam emissio, qui divinum jam regnum predicant oppidatim, Marc. 6. Luc. 9. 4. Iohannis Baptistæ ob reprehensum Herodis incestum in carcerem conjecti decollatio, Mat. 14. Marc. 6. 5. Herodis & aulicorum ejus de concionibus & miraculis Christi opinio, Matth. 14 Marc. 6. Suc. 9.

Septimo Circa secessum in desertum civitatis Bethsaidæ, Ubi 1, vel maximè divina Iesu Christis virtus illuxit: Nam quinq; virorũ millia demptis mulieribus & parvulis, quiuque panibus hordeaceis, duobusque pisciculis miraculose exsaturavit, fragmentorumque 12. sustulit cophinos: quo viso, parum abfuit, quin invitum regnare cogerent Iudæi: sed ille se subduxit cupiditatibus populi, aliam faciẽ regni sui constituturus, M. 14. Marc. 6. Luc. 9. I. 6 2. Discipulos naviculâ trans fretum ire jubens, unà cum Petro super mare circa quartam noctis vigiliam stupendo gradu ambul

ambulat, Matth. 14. Marc. 6. Ioh. 3. Prolixam de spirituali carnis suæ manducatione & bibitione sanguinis ipsius in Synagoga Capernaitica concionem habuit, ib. 4. Offensorum sermone suo Discipulorum & Auditorum secessionem condemnat, constantium verò Professorum virtutem commendat, de proditore præmonet, Ioh. 6.

Ad Pascha Tertium ab initio Prædicationis (Ioh. 6) pertinent Acta.

Primò Intineris Solymei. Quod dum 1. isto tempore à Christo ob insidias Iudæorum, intermittitur. Ioh. 6. Contra 2. veniunt Hierosolymis Scribæ & Pharisæi ad Christum, qui 3. videntes Apostolos illotis manibus cibum capere, 4 mox Christum duris verbis adoriuntur; atq; 5. sic occasionē præbent, acerrimæ de traditionibus Seniorum disputationi 2. fidelissimæ delictorum majorum revelationi; 3. exactissimæ doctrinæ de ceremonijs humanis explicationi, Matth. 15. Marc. 7.

Secundò iteneris Galilæi. Ubi incidit 1. Filiæ Syrophœnissæ à dæmonio vexatæ, absentis Christi verbo liberatio, Matth. 15. Marc. 7. 2. Ægrotorum, & inter cæteros surdi ac muti, sanatio, ibid. 3. Turbæ hominum quater mille, post pastionem verbo solutari factam, miraculo, futuro Christiano orbi, admirando, panibus septem cibatio, Matth. 15. Marc. 8. 4. Pharisæorum, postquam Christus in fines Magdala & Dalmanutha pervenerat, signum de cœlo petentium, signo Ionæ confusorum, unà cum fermento doctrinæ ipsorum, rejectio, Matth. 16. Marc. 8. 5. Cæci, extra vicum Bethsaidæ educti, sanatio, Marc. 8.

Tertiò Iteneris ex Galilæa versus Cæsaream Philippi. Ubi 1. Petri atque Apostolorum cæterorum de Christo, quod sit filius Dei vivi, Confessio 2. Clavium. Regni cœlorum, solvendi scilicet & ligandi peccata, institutio. 3. Apostolis de mundano regno magnas jam spes agitantibus persequentiones prædixit, & supplicia mansura, tum se, tum sectatores suos, in hoc pravissimo seculo. Matth. 16. Marc. 8. Luc. 9. Interim 4. ut gustum præberet melioris ævi, sublatis in montem Thabor tribus eorum præcipuis tansformavit sese, & nube circumdatus mirè splendente cultu, cum Mose & Elia Prophetarum Coryphæis, beatâ jam vitâ fruentibns, sermonem miscuit, tantamque Apostolis ingessit dulcedinem superiorum mansionum, ut ipsi ultro perpetuam in isto monte habitationem deposcerent, Matt. 17. Marc. 9. Luc. 9. sed nondum erat tempus istius gloriæ: Quocirca 5. deductos de monte subindè admonebat, ne semet inani felicitatis mundanæ umbrâ fallerent, nec primatum imperiave in alios captarent, esse enim longè aliam cœlestis regni faciem, quam quâ principes hujus mundi gaudeant, Marc. 9, Luc 9 Posteà 9 Lunaticum, ab apostolis ob in credulitatem non curatum, sanat. Discipulos 7. in transitu, per Galilæam de passione & resurrectione suâ instituit. Δίδραχμον 8. solvit, & 9. concionem Dominus habuit, in qua contentionem de primatu dirimit, præpositâ ratione excellendi in regno cœlorum, consistente in Parvulorum imitatione, 2. scandalorum devitatione. 3. delinquentis fratris correptione, & 4. Promta delictorum resipicentis proximi condonatione, Mat. 8.

(Hic quidam finem tertij anni Ministerij Christi ponunt.)

Quartò Intineris ad festum Scenopegias, seu Tabernaculorum. Ubi 1. Christi, & cognatorum ejus, de profectione Hierosolymam versus consultatio. Ioh. 7. 2. Eisdem in medio festi Hierosolyman versus profectio. Luc. 9. Ioh. 7. 3. Trium discrepantium quam maximè Sectatorū Christi, descriptio, Luc. 9 4. Sep tuaginta aliorum divinæ gratiæ Præconum, ad

præ

prædicandum in Iudæa Evangelium, instructio atque emissio, Luc. 10. 5. Publica Christi in medio festi Scenopegias concio, Joh. 7. 6. Concionum & Actionum Christi in novissimo festi Scenopegias die notario, Joh. 7. 7. Adulteræ à Pharisæis Christo adductæ, absolutio Ioh. 8. 8. Christi ad Gazophilacium templi Solymei sedentis, cum Pharisæis, & Iudæis, de suo officio, veris Abrahamitis, & divinitate suâ, concertatio, Ioh. 8.

Quintò Post expulsionem Domini è templo Hierosolymitano. Ubi 1. Christus sub reditum Septuaginta Discipulorum ante emissorum, de felicibus regni sui initijs, & incrementis, exultans, Luc. 10. 3. Pharisæus beatitudinem in legis observatione sitam putans, per porabolam Samaritani confusus, ibid. 3. Maria unà cum sorore Martha Christum hospitio excipiens, ibid. 4. Precationum optima formula, ac singularis virtus, Luc. 11. 5. Ejecti Dæmonij muti miraculum, ib. 6. Christi illoti in convivio Pharisæi accubitus, & de eo disputatio, quâ externa pietatis larva in Pharisæis ac Scribis taxatur ib. 7. Prolixus satis Christi de προκειμένοις ἀντικειμένοις fidei sermo Luc 12. 8. Exhortatio ad pœnitentiam, proposito 1. interitu Galileorum, 2. ruinâ turris Siloensis, 3. pœnâ ficus sterilis, Luc. 13. 9. Mulier à Satana incurvata, à Christo autem ipso Sabbato restituta, ibid. 10. Comparatio regni Dei cum grano Sinapis & fermento. 11. Cæcus à nativitate, in reditu Domini ad urbem Solymeorum, visu donatus. & à Pharisæis binâ vice examinatus, à Christo autem in fide confirmatus, L. 13 Joh. 9. 12. Spiritualis Pharisæorum cæcitas, & contrà Christi autoritas pastoralis, in Ecclesia schisma inter Iudæos movens, Iohan. 9. & 10.

Sextò Itineris ad festum Encæniorum. In quibus 1. Christus se mundi lucem approbat, & Messiam esse disertè profitetur: nec improbissimis Iudeorum moribus parcit. Quibus de causis, multis vitæ periculis defunctus, nihilo abjectius, nihilo timidius se gerebat, quin ipsorum primatum, ambitionem, avaritiam, & cæcitatem accerrimè castigabat. Quocirca 2. Iudæi ipsum ceu blasphemum lapidare conantur; dum interim 3. fugiens Christus Iudæos trans Iordanem in Peræam proficiscitur, ibidemque aliqnandiu commoratur Ioh. 10.

Quoad Pascha Christi publicè decentis Quartum (Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22, Ioh. 11.) considerationem merentur Paschatis istius,

1. ἡγούμενα seu antecedentis. Quo pertinent Acta,

Primò in itinere postremo versus Hierosolymam, versante adhuc Iesu in Peræa. Ubi 1. Enodatio quæstionis: An pauci sint salvandi? 2. Machinationum Herodis contra Christum indicatio & elevatio, unà cum taxatione ingratitudinis ac crudelitatis Solymeorum, Luc. 13. 3. Sanatio hydropici Sabbato, in domo principis Socerdotum. Cui attexitur sermo, de 1. observatione Sabbati, 2. humilitatis studio, 3. invitandis pauperibus. 4. cœna, ibid. 4. Conciones ὁδοιπορικαί, de 1. dotibus Discipulorum Christi, 2. ove, drachma, & filio perditis, Luc, 15. 3. Dispensatore iniquo 4. Epulone & Lazaro mendico, Luc. 16. 5. scandalo vitando, 6. reconciliatione fraternâ. 7. fidei & fidelium naturâ, Luc. 17,

Secundò In transitu per Samariam ad urbes, & vicos Galilææ. Ubi 1. Decem leprosorum mundatio, 2. Regni Dei appropinquatio, Luc. 17, 3. Veræ & constantis invocationis natura, atque excercitatio; 4. Pharisæi & Publicani parabola, Luc. 18. 5. Iudæorum vivortia, Matth. 19. Marc. 10, 6. oblatorum parvulorum benedictio, Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18 7. Iuvenis divitis de via consequendi vitam æternam institutio, ibid. 8. Largissima

B

ma desertarum propter Evangelium facultatum terrenarum recompensatio, ibid 9. operarii Dei inæquales, & primorum translocatio ad ordinem novissimorum, Matth. 20. 10. Lazari amici Christi ægrotatio, & sororum de significando morbo fratris missa ad Dominum legatio, qui audito nuncio de ægritudine Lazari manet in eodem loco duos dies, Ioh. 11. 11. Christi ascendentis Hierosolymam, de passione & resurrectione sua ex Prophetis prædictio, ast ipsi nihil horum intelligunt. Matth, 20, Marc. 10. Luc, 18. 12, Importuna matris filiorum Zebedæi postulatio, quò nimirum alter à dextris, alter à sinistris sedeat in regno Christi, Matth 20. Marc. 10.

Tertiò Propè urbem Hiericho Ubi 1. cæci, in via urbis Hiericho mendicantis, restitutio, Luc. 18. 2. Zacchæi publicanorum Principis conversio & vocatio, Luc. 19. 3. Decem minarum, per generosum peregrè abeuntem, inter servos distributio, ibid. 4. Bartimæi cœci per Christum egredientem urbe Hiericho sanatio, Marc 10. 5, cæcorum duorum sub eundem ex urbe Hiericho egressum illuminatio, Matt 20. Marc. 10.

Quartò In vicinia & urbe Solymæorum. Ubi gesta, I. Octavo ante Pascha die. Ceu sunt 1. Lazari à quatriduo sepulti ex mortuis resuscitatio, Ioh. 11. 2. Pontificum & Phariseorum in ædibus Caiaphæ, de tollendo Iesu, consultatio, quorum invidiam ardentem dudum auxit Lazari quatriduum sepulti resuscitatio. 3. Cruenti decreti contra Christum publicatio, ibid. 4. Christi ob insidias à Iudæis structas in civitatem Ephraim juxta desertum secessio, ibid. II. Sexto ante Paschadie. Ceu sunt, 1. cœnæ per Lazarum ejusque Sorores in honorem Christi, ab Ephraim in Bethaniam reversi, apparatio. 2. Pedum Domini per Mariam unctio, Ioh. 11. 3. Sacerdotum de Christi & Lazari interfectione deliberatio. ibid. III. Quinto ante Pascha die, qui nobis dies solis, vel Dominica Palmarum. Ceu sunt 1 Christi asinâ accommodato sumptâ in urbem Solymeorum vecti exceptio, Mat. 21. Mar. 11. L. 19. Ioh. 12. 2. Ejusdem super Hierosolymam, tempus visitationis & gratiæ suæ agnoscere nolentem, Lacrimatio, Luc. 19. 3. Vendentium & ementium ex templo ejectio, Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19. 4. Puerorum Hebræorum, Iesum Hierosolymam ingredientem festis olearum palmarumque ramis consequentium, Regum Israëlitarum ipsum salutantium, acclamatio, unà cum ejusdem accusatione ac defensione, M. 21. 5. Christi per Græcos quæsiti, de passione sua ejusque fructibus, concio, Ioh. 12. 6. Christi, circa vesperam in Bethaniam reversio, Matth. 21. Marc. 11. IV. Quarto ante Pascha die qui nobis dies Lunæ. Ceu sunt 1. Ficus infrugiferæ in via è Bethania tempore matutino maledictio, Matt. 21. Marc. 11. 2. iterata nummulariorum & mercatorum è templo ejectio, Marc. 11. 3. Insidiosa Scribarum & Pharisæorum contra Christum machinatio, ibid. Tertio ante Pascha die, qui nobis dies Martis, ubi 1. Ficus radicitùs arefacta, Mat. 21. Mar. 11. 2. fidelis & assiduæ precationis commendatio, Mar. 11. 3. Condonationis fraternæ summa necessitudo, ibid. 4. Scribarum & Seniorum, vocationem Christi in dubium vocantium, proposita quæstione de Baptismo Iohannis confusio, Mat. 21. Mar. 11. Luc. 20. 5. Concionum & disputationum diversarum Christi cum Pharisæis, Scribis ac Saduceis, coagmentatio, Matth. 21. & 22. & 22. Marc. 12. Luc. 20. 6. Accurata vitæ & doctrinæ Phariseorum & Scribarum examinatio, taxatio, abominatio, Matth. 23. Marc. 12. Luc. 21. 7. Viduæ paupercuIæ supra opes liberalis encomium. Marc. 12. Luc. 21. 8. Excidij Solymei, nec non consummationis seculi, occasione miniæ depredicationis magnificæ

ſtructuræ templi, prædictio, Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. 9. Rationis præparandi ſeſe ad Chriſti adventum expoſitio, Matth. 25. Marc. 13. Luc. 21. 10. Formæ proceſſus, & finis extremi Iudicij delineatio, Mat. 25. VI. Altero ante Paſcha die, qui nobis dies Mercurij. Ubi occurrit, quod 1. Chriſtus clarè prædicit, ſe in iſto Paſchate captum & crucifixum iri, Mat. 26. 2. Pontifices Scribæ ac Seniores in Synodo frequentiſſima, de Chriſto, dolo capiendo, conſultant, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 3. Chriſtus, in convivio Simonis Leproſi Bethanienſis, tertiâ vice ungitur à muliere, Matth. 26. Marc. 14. 4. Iudas Iſcariotes, unus ex Diſcipulis Chriſti, qui tot experimentis cognitum Dei filium, ſuumque Magiſtrum, furioſis hoſtibus, proditurus erat, certo ſtipendio cum Pricipibus Sacerdotum paciſcitur, Mat. 26. Luc. 22. J. 13.

II. Συνεζευγμένα, *ſeu conjuncta. Quo pertinent Acta Primò, Iudaici Paſchatos. Eaque*

I. Diei proximæ ante verum Paſcha, ſeu Paraſceves, quâ prima acinorum dies inſtabat, & quam Latini diem Iovis nominant. Ubi 1. Diſcipulorum Chriſti ad manducationem Agni Paſchalis præparatio, Marc. 14. Luc. 22. 2. Duorum Diſcipulorum ad præparundum Agnum Paſchalem manducaturi in urbem Solymeorum reverſio. II. Veſperæ proximæ ante verum Paſcha. Ubi occurit 1. Iudaici à Chriſto ejuſque Diſcipulis in urbe Solymæorum celebratio, Matth. 26 Marc. 14. Luc. 22. 2. Proditoris Iudæ notatio & taxatio, Marc. 15. Luc. 22. 3. Cœnæ, loco Agni Paſchatis inſtitutio, ibid. 4. Pedum Diſcipulorum Chriſti lotio, Ioh. 13. 5. Sermonum de Iuda proditore repetitio ejuſdemque ab atrociſſimo propoſito dehortatio, Luc. 22. Ioh. 13. 6. Subortæ inter Diſcipulos contentionis de primatu refrænatio. Luc. 22, 7. Impendentis mortis Chriſti, & ſcandalorum indè promanantium, prænunciatio, Matth. 26. Marc. 14. Ioh. 13. 8. Charitatis mutuæ commendatio, ibid. 9. Præſumptionis Petri, per abnegationes prædictionem, repreſſio L. 22. Ioh. 13. 10. Fortunæ Diſcipulorum ſecundæ & adverſæ notatio, Luc. 22 Iohan. 13. III. Secundæ vigiliæ noctis ante verum Paſcha. Ubi valedictoria Chriſti Concio. Quâ 1. Diſcipulos ob ſuum, ceu Præceptoris diſceſſum ſolicitos, conſolatur, Io. 14. 2. Eoſdem ad immotam in fide perſeverantiam hortatur, Ioh. 15. 3. Scandala ex imminentibus perſequutionibus oritura amolitur, Ioh. 16. Ac 4. pro ſe & Eccleſia ardentiſſimis ſuſpiriis precatur, Joh. 17. IV Noctis ante verum Paſcha. Ubi 1. Hymni Euchariſtici recitatio, Chriſti cum Diſcipulis trans torrentem ad hortum Gethſemane progreſſio, Matth. 26. Luc. 22. Ioh. 19.

Secundò, Veri Paſchatos ſeu diei prout eſt, Veneris. Quo Chriſtus

1. Cum non poſſet, propter antiquatam tùm temporis apud Iudæos anticipationẽ celebrationis Paſchatos, juxta legem Dei celebrare Paſcha Typicum; 2. Exactiſſimè nihilominus diem à Deo Paſchatos feſto præfixum obſervavit, illoque 3. ſemetipſum ceu verum in ara crucis immolari paſſus eſt, ac 4. ceu victima vera, Deoque placens, totius mundi iniquitates portavit, expiavit, id quod nunc ultimum vitæ Chriſti in his terris peractæ membrum uberius demonſtrat.

III.

Terminus vitæ Chriſti in terris hiſce peractæ eſt,

Partim 1. Luctuoſus: Partim 2. Glorioſus. Quorum ille Chriſti Paſſionem, hic verò ejuſdem concernit Reſurrectionem atque Aſcenſionem.

1. *Terminus vitæ Chriſti diſtinguitur in e 1 quæ cum ipſo paſſionis tempore Acta fuerunt.*

Nunc 1. *in Horto* Ubi occurrit 1. Agon acerbissimus & tristissimus, adeò ut Dominus Iesus Christus guttas sanguinis sudârit, Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22. 2. Confortatio per Angelum, Luc. 22. 3. Reprehensio somnolentiæ Discipulorum Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Intereà 4 Jesum nocturnis precibus vacantem milites comprehendunt, non invitum aut reluctantem, sed ultrò occurrentem cohorti, cum unico verbo prostratam humi jussisset se capto missos facere Discipulos. 5. Sequitur IudæOsculum ac proditio, Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22. 6. Discipulorum ac præcipuè Petri pro Præceptore suo pugna, Matth. 26. Mar. 14. Luc, 22, Ioh. 18 7. Christi captivitas ac vincula, ibid. 8. Ejusdem cum cohorte. Tribunisque expostulatio. Discipulorum. 9. & unius in specie, capto Pastore, fuga, Marc. 14.

Nunc 2. *in Synedrio*, coram Ecclesiastico magistratu. Ubi 1. Christi ad Hannam, Cajapham atque cæteros Iudices Ecclesiasticos deductio, Matt. 26. Mar. 14. Luc 22. Iohan. 18. 2. Petri & alterius cujusdam Discipuli sequela à longinquo, ibid. 3. Petri in atrium Pontificis admissi cum ministris Sacerdotum ad accensas prunas calefactio, & prima, eaque simplex, Domini abnegatio, Matth. 26. Marc. 14. Luc/22. Ioh. 18. 4. Christi de doctrina, & Discipulis, examinatio, Ioh. 18. 8. Anxia testimoniorum, conquisitio, Matth. 26 marc. 14. 6. Principis Sacerdotum gravissima contestatio, ad Christum directa & auctoritate Dei suffulta, Matth. 26. 7. Christi de Deitate suâ publica confessio, ac solemne testimonium, Matth. 26. Marc. 14. 8. Ejusdem à Principe Sacerdotum ac Senioribus populi condemnatio, ibid 9. ministrorum Sacerdotis, & reliquorum Seniorum populi. probra, & contumeliæ, quibus Christum afficiunt, Matth. 26. Marc. 14. 10. Iterata Petri, eaque gemina, & juramento atque execratione aucta, abnegatio, acerbaque lamentatio, Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22 Joh. 18. 11 Christi à servis Sacerdotum per totam noctem irrisi in concilio Seniorum alterâ vice coacto, nova ac prostrema Condemnatio. ibidem.

Nunc 3. *in Prætorio*, coram Politico Magistratu. Ubi 1. Christi arctiùs constricti, à Sacerdotibus & Senioribus nec non Iudæorum turba ad præsidem Pilatum deductio, Mat. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joh. 18. 2. Proditoris Judæ tragicus exitus & suspensio, Matth. 27. 3. Pilati cum Iudæis de Christo adducto disceptatio, ejusdemque accusatio, Ioh. 18. 4. Pilati cum Christo de criminatione affectati regni interlocutio, Mat. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioh. 18. 5. Christi in prima coram Pilato accusatione absolutio, Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23 Ioh. 18. 6. Ejusdem propter objectam in altera accusatione seductionem Galilææ, ad Herodem missio, & ab eodem irrisi, reductio, Luc. 23. 7. Pilati de innocentia Christi publica testificatio, atque de dimittendo ipso solicita curatio, Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioh. 18 8. conjugis Pilati, de non condemnando innocente Christo præmonitio, Matth. 27. 9. innocentis Christi, dimisso latrone Barnabâ, condemnatio, Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. 18. 10. Christi flagellatio, & crudelissima tractatio, nihil omninò faciens ad dimissionem ipsius, prout quidem Pilatus speraverat, Matth. 27 Marc. 15. Ioh. 19. 11 Rabiosa Iudæorum de tollendo Christo vociferatio, Ioh. 19. 12. Nova Pilati de Persona Christi, & num filius Dei sit, inquisitio, ibid. 13. injusta Christi per Pilatum, replicatâ Iudæorum vociferatione territum, ad mortem crucis condemnatio, ibid. cap. 19. 14. Contumeliosa Christi jam condemnati per milites in prætorio exagitatio, Matth. 27. Marc. 15.

Nunc 4. *In supplicij loco, post publicam condemnationem. Ubi* 1. Τὰ ἡγέμενα, seu antecedentia. Ut sunt 1. Christi chlamy-

de-

de coccineâ exuti, & vestibus propriis induti, ad locum supplicij eductio, Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioh. 19. 2. Ligni crucis per Christum, collegâ Simeone Cyrenæo, ad locum supplicij bajulatio, Joh. 19. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Christi ad mulieres & turbam sequentem concio, Luc. 23.

II. Τὰ συνεζευγμένα, seu conjuncta. Ut sunt 1. Christi in Golgatha inter latrones duos crucifixio. 2. potus amarus, Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23. 3. Titulus, mortis causam exprimens, ita sonans, *Iesus Nazarenus Rex ille Iudæorum*. ibid. & Ioh. 19. 4 Divisio vestium Christi, ibid. 5. Blasphemiæ & convitia, cum adstantium, tum prætereuntium, Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. 6. facinorosorum impietas & pietas. Lu. 23. 7. Maria Mater Christi, & aliæ mulierculæ stantes ad crucem, Mar. 15. Luc. 23. Iohan. 19. 8. Septem Christi in cruce verba. Inter quæ 1. pro hostibus suis precatur, Luc. 23. 2. latroni peccata sua lamentanti consortium cœlestis regni pollicetur, Luc. 23. 3. Matrem Mariam Iohanni commendat, Ioh. 19. 4. se derelictum ingenti cum clamore conqueritur, Matth. 27. Marc. 15. 5. se sitire vociferatur, 6. τὸ τετέλεσται, consummatum est, exclamat. Ioh. 19. 7. In manum Patris Spiritum suum commendat, L. 23. *Et cum* hæc *dixisset*. inclinato capite mortuus est, Mat. 27. Marc. 15. Luc. 23. Iohan. 19.

III. Τὰ ἑπόμενα Ceu sunt 1. Christi mors, ibid. 2. Miracula varia, ipsius innocentiam comprobantia. (Nempe, 1. solis præter omnes naturæ leges obscuratio, Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23. 2. Aulæi in templo scissio, seu velum templi scissum, 3. terræ commotio, Mat. 27. 4. Petrarum ruptura, ibid. 5 Apertio monumentorum, ibid. 6. Resipiscentia centurionis & aliorum ex populo, Marc. 15. Luc. 23. 7. Effluxio sanguinis & aquæ ex perfosso latere Christi, Iohan. 19.) 3. Consultatio Iudæorum de corporibus facinorosorum tollendis, & sepeliendis, Ioh. 19. 4. Iosephi, pro levando de cruce Christi corpore, supplicatio, Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioh. 19 5. Sepulturæ Christi, per Iosephum, Nicodemum, & mulieres quasdam pias, procuratio, ibid. 6. monumenti Christi obsignatio, & per milites asservatio. 7. Sabbatum Filij Dei in sepulchro, Matth. 27. 8. Aromatum & unguentorum, ad ungendum Domini corpus, præparatio, Luc. 23.

II. *Terminus vitæ Christi gloriosus distinguitur in Historiam, 1. Resurrectionis à mortuis. Quo pertinent Acta 1. Paschatos Novi, seu diei Resurrectionis Dominicæ.* Ubi considerationem merentur ea, quæ acciderunt

Partim 1. Ante Solis ortum, Ceu sunt, quod 1. Christus tertio die à mortuis resurgit, vivusque è monumento liberrimè discedit, Matth 28. Marc. 16. Luc. 24. Ioh. 20. 2. Mulieres quædam piæ, Maria Magdalena, Maria Iacobi, Salome & aliæ, simul 1. aromata preciosa emunt, simul 2 unguentum præparant, simul 3. ad sepulchrum ungendi corporis Dominici gratiâ eunt, Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. 3. Suborto horribili terræ motu, Angelus Domini de cœlo descendit, & lapidem de monumento aufert, Matt. 28. 4. Custodes obstupefacti, in terra decumbunt, fugamque capessunt, ibidem. 5. Mulieres lapidem inveniunt devolutum, & sepulchrum vacuum, Marc. 16. Luc. 24. 6. Maria Magdalena videns lapidem devolutum, relictis comitibus, discedit, & rei novitatem Simoni ac Iohanni denunciat, Ioh. 20. 7. Cæteræ mulieres, rem aliquantò certius exploraturæ, sepulchrum ingrediuntur, angelo juvenili specie apparente, & de Domini resurrectione bona nova audiunt, quæ tamen præ metu ac terrore nemini exponunt, M. 28. Mar. 16. 8. Paulò post aliæ mulieres egressæ ad sepul-

chrum duos Angelos in vestibus fulgentibus, à quibus acriter objurgantur, vident, qui statim de Christi resurrectione concionantur, quorum verba, cum à mulieribus Apostolis indicarentur, habita ab illis sunt pro deliramentis, Luc. 24.

Partim 2. post solis ortum. Ceu sunt, quod 1. Petrus & Iohannes relatione mulierum excitati, diverso passu ad monumentum Domini properant, & discedentes, corpus Christi sublatum esse credunt, Luc. 24. Joh. 20. 2. Maria Magdalena ad sepulchrum manens, primò videt duos Angelos, deindè verò ipsum Christum resuscitatum, Marc. 16. Joh. 20. 3. Mulieres secundâ vice ad sepulchrum redeuntes, in abitu Jesum ipsas salutantem, & cum mandatis ad Discipulos remittentem, obvium habent, atque agnoscunt, Matth. 28. 4. Custodes sepulchri Christi, 1. in urbem veniunt, 2. resurrectionem Domini principibus Sacerdotum narrant, & 3. pecuniâ ad divulgandum falsa conduci se patiuntur, Matth. 28. 5. Multa demortuorum sanctorum corpora è sepulchris, parasceves die, motu terræ apertis, prodeunt, Matth. 27.

Partim 3. horis pomeridianis. Ceu sunt, quod Christus apparet, 1. Duobus euntibus in agrum, quibus Apostoli non credunt, Marc. 16. 2 Petro, iterum ad sepulchrũ currenti, & in abitu apud semetipsum admiranti, Luc. 24. 1. Cor. 15. 3. Cleophæ, ejusque socio, quibus, Hierosolymis Emauntem itinerantibus Dominus concionatur, & fractione panis secognoscendum præbet, quibusque reversis Discipuli credunt, Luc. 24.

Partim 4. Circa solis occasum, seu versperam. Ubi 1. improvisa Domini in medio Apostolorum, excepto Thomâ, obseratis adhuc foribus, præsentia, 2. Palpabilis & irrefragabilis manifestatio, 3. cibi postulatio & sumptio, 4. solemnis mandatorum de obeundo Apostolico munere repetitio, Luc. 24. Joh. 20.

II. *Octavo post resurrectionem Domini die*, ubi 1. apparitio Domini in medio omnium Discipulorum, 2. correptio Thomæ antea increduli, Johan. 20.

III. *Post tempus aliquod ad Mare Tiberiadis.* Ubi Christus 1. septem discipulis labori piscationis operam navantibus sese manifestat: 2. prandium apparari sibi jubet, in quo ipse Discipulis panem ac piscem distribuit: 3. à prandio cum Petro, de sua & Johannis conditione, colloquium instituit, Joh. 21.

IV. *In Galilæa supra montem*, ut existimatur, Thabor. Ubi 1. Christus amplissimæ Discipulorum plurimorum coronæ apparet, 2. Apostolos adhuc peculiariter instruit, 3. Ministeriũ universale ordinat, ac 4 suam præsentiã ac donum miraculorum pollicetur. Matth. 28 Mar. 16.

V. *Dierum quadraginta*, quibus à tempore resurrectionis, Christus passim 1. suis apparuit, 2. eosdemque de Regno Dei instituit, & 3. se viventem ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις exhibuit, Luc. 24. Actor. 1.

II. *Ascensionis Quo pertinent,*

1 Discipulorum in Bethaniam, & ad montem oliveti, eductio, Luc. 24.

2 Crassissimi erroris, de mundano, & corporali Messiæ regno, Correctio Actor. 1.

3 Christi Discipulis suis benedicentis inter loquendum in cœlos assumptio, Ma. 16. Luc, 24. Actor. 1.

Sic Dominus ac Salvator noster Iesus Christus XL. dies versatus cum Discipulis post resurrectionem suam ex mortuis, adspectantibus illis, de monte Oliveti in cœlum clarâ subvectus nube ascendit, adstantibus viris humanâ specie majoribus, suoque eum tempore de cœlo rediturum ad judicandũ vivos ac mortuos affirmantibus; ad cujus adventum parati & judicium idonei ut inveniamur, faxit is qui ad imaginem suam nos fecit, qui illam in nobis

nobis refecit, qui denique eam ad gratiosuæ gloriam perficiet qui est Deus unus essentiâ, trinus personis, Pater. Filius, & Spiritus sanctus, cui sit benedicto & gloria, sapientia & gratiarum actio, honor, virtus & robur, in secula seculorum Amen.

AD LECTOREM.

QVotiescunque, Lector benevole, servitutem, quæ Israëlitas continuatis aliquot seculis oppresserat, intuemur, ipsos non alio modo in terram promissam venire potuisse in propatulo est, quam ut miraculis & scipione Moysis, de Ægypto elapsi, iter spretis molestiis susciperent. Egregius hic typus ad nos pertinet; sed quantum umbram corpus, tantum typos res ipsæ excellunt. Israëlitæ sunt fideles: Ægyptus est terrarum orbis: in quo tanquam omnis servitutis pistrino variis subjacemus miseriis. Terra sancta est beatorum domicilium, ad quod tendimus, sed istuc venire non possumus, sine scipione Moysis, i. e. *Sacra Scriptura Hæc est ipsa via quam insistamus necesse est. Quemadmodum autem Israëlitæ per patentes transibant campos, & cœlesti vescebantur pane; ita nos per immensa Sacræ Scripturæ spatia incedere & nucleo & mannâ extracto deficientes animos reficere possumus. Nulla autem Sanctæ Scripturæ pars uberior & divinior est, quam scripta Evangelistarum Ad quam videl. partem studiosâ meditatione explorandam, me Christi mandatum, & mea in rebus divinis egestas excitavit. Quæ unquam Scripturarum magnificentia his libris, aut in superficie pulchrior, ant sensu locupletior? tot habent mysteria, quot verba,* i. e. *in singulis vocibus multi-*

plices

plices divinæ Sapientiæ latent sensus. Ut itaque terrã istam possideamus, exemplum exploratorũ in terrã Canaan missorũ sequamur, quicunq; hanc terram, i.e. Scripturam Sacram ingredimur, ubi altiorem rerum divinarum Majestatem latere arbitramur, ubi adhuc minus intelligimus. Si igitur propitius nobis fuerit Dominus, introducet nos in hanc terram melle & lacte manantem, ut inveniamus in ea divitias salutis, thesauros Sapientiæ & scientiam timoris Domini. Ast, dicet aliquis, cur fastidium legentibus faciamus augendo multitudinem librorum. Ad hæc dicimus, Sacram Scripturam agrum omnibus Christi Confessoribus communem esse, & meditandi illam jura nulli negari posse, dummodo ad fidei analogiam id quod sentit aut scribit, dirigatur. Et ut nullus indignari poterit, eò quod in agro hæreditario, ut parentes olim, sic nunc filij proprio fodiant labore puteos, dummodo salutarem aquam invenire possint, quæ nulli noceat bibenti; nullum scandalum aut errorem faciat legenti: ita neminem Christianorum, dum ad fontem Augustum illum, aquâ Vitæ perenni fluentem, ducimus, nostrum conatum præsumptioni & vanæ temeritati deputaturum multò minùs improbaturum, spero. His paucis, Candide Lector salve, atque nostros qualescunque labores æquo animo admitte.

SOLI DEO GLORIA.